Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 711

Quelle:
Copyright:

nequit intelligi, Virgo illa niteret &c. argumentum inſtrui queat, eum cum Noſtro ſenſiſſe? Verum haec ad Scholas. Mentem ſuam interim Noſter ſic aperit: *Conceptio enim fuit uirtuoſa et nulli culpe obnoxia, quamuis quidam theologi dicant beatam uirginem originalem maculam contraxiſſe quod eſt intelligendum de iure communi. Incidiſſet utique ſi deus omnipotens eam non preſeruaſſet. ſed in eodem inſtanti quo anima illa nobiliſſima corpori vniebatur capax fuit gratie diuine quam deus ſibi ſingulariter infudit et a culpa cui omnes ex ſemine uirili concepti obligantur preſeruauit.* Atque hoc iis rationibus fulcit, quibus *Joh. Scotus, Petr. Aureolus, Joh. Baconus, Herveus Nat. Franc. de Mayronis* &c. deinceps uſi fuere.

X. *fol.* 97. p. 2. Redeunt *Bernhardi Sermones.* Primus *de purificatione beate marie virginis.* Incipit: *Hodie templi dominum in templum domini uirgo mater inducit* &c. Extat edit. et *T. ſuprac. col.* 959. *Bernh. de purificatione.* Incipit: *Purificationem beate marie uirginis hodie celebramus* &c. *col.* 962.

XI. *fol.* 99. p. 2. *In annuntiatione beate uirginis marie de coniugio ſpirituali.* Ignoti mihi Autoris Sermo, cujus exordium: *Adeſt nobis ſermo dilectiſſimi in chriſto de coniugio quod eſt inter uerbum patris et humanam naturam aſſumptam in vnitate perſone. Similiter et de ſpirituali quod eſt inter deum et animum iuſtam. Exultet angelica turba celorum* &c. Per decurſum bis *Gregorium* M. citari video, legoque illud: *Trepidare virginum eſt et ad omnem viri ingreſſum pavere* &c. quod *Ambroſii* eſt L. 2. *in Lucam.* Finis: *non amplius cor noſtrum amori alterius preterquam chriſti ſponſi pro nobis incarnati et paſſi prebeamus ipſo adiuuante qui* &c.

XII. *fol.* 102. p. 2. *Bernhardi* denuo *Sermones* VII. uno *Hieronymi* interjecto. *In aſſumptione marie virginis Sermo Bern.* Incipit: *Virgo glorioſa hodie celos aſcendens* &c. *T. ſuprac. col.* 995. Definit in verba: *amplectenda dignatio maieſtatis*, nec habet particulam illam, quae in Edit. ſequitur. *Sermo Jeronimi de aſſumptione marie.* Spurius et jam *Cod.* CXCIII. indicatus. *In aſſumptione marie Bernhardus.* Initium: *Intrauit Jeſus in quoddam caſtellum* &c. *Quod dominus ac ſaluator noſter ſemel et vno loco uiſibiliter* &c. Rejectus a *Mabillonio*, ut nothus, in T. V. *col.* 681. quod in *mſs.* non exſtat inter genuinos *Bernardi* Sermones. Exſtat tamen inter tales in *Cod.* praeſenti. *In natiuitate uirginis marie ſermo bern.* Praemiſſa lacinia quadam de Salutatione Angeli, quae infit: *Aue gratia plena. Non in ſola uirginitate conſtare poterat gratie plenitudo* &c. et in Allegoriam de *Hydriis Canae* definit, ſequitur *Bernardi* Sermo, qui in Edit. adſignatur *col.* 1006. *Dominicae infra Octavam Aſſumptionis*, hujus exordii: *Signum magnum*